



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum excommunicato liceat communicare in pure corporalibus? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

re in puris corporalibus?

- ¶ Secundo, vtrum participans excommunicato sit excommunicatus?
- ¶ Tertio, vtrum participare excommunicato in casibus non concessis, semper sit peccatum mortale?

ARTIC. I.

Vtrum liceat excommunicato communicare in pure corporalibus?

91

Tho. ubi sup ar 4. q. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd liceat excommunicato communicare in pure corporalibus. Excommunicatio enim est actus clauium. Sed potestas clauium se extendit ad spiritualia tantum. Ergo per excommunicationem non prohibetur quin vnus alij in corporalibus communicare possit.

Bern. in li. de præcepto, & dispensat. non remittit à prin. & sup. q. 1. ar. 1.

¶ 2. Præterea, Quod est institutum pro charitate, contra charitatem non militat. Sed ex præcepto charitatis tenemur inimicis subuenire, quod sine aliqua communicatione fieri non potest. Ergo licet alicui excommunicato in corporalibus communicare.

SED contra est, quod dicitur 1. Corint. 5. Cum eiusmodi nec cibum sumere.

RESPONDEO dicendum, quòd duplex est excommunicatio. Vna est minor, quæ separat tantum à participatione sacramentorum, sed non à communionem fidelium: & ideò tali excommunicato licet communicare, sed non licet ei sacramenta conferre. Alia est maior excommunicatio, & hæc separat hominem & à sacramentis Ecclesiæ & à communionem fidelium. Et ideò excommunicato tali excommunicatione communicare non licet. Sed quia Ecclesiæ excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit: ideò excipiuntur ab hac generalitate quædam in quibus communicare licet, scilicet in his quæ pertinent ad salutem: quia de talibus homo licitè potest cum excommunicato loqui; potest etiam & alia verba interserere, vt facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. Excipiuntur etiam quædam personæ, ad Supplementum.

○ quas